TRICORONES,

SIVE

SOLES GEMINI

IN

BRITANNIA.

Y.10.30

CARMEN

de

CHRISTIANI

IV. Regis aduentu

in eandem.

AVGVSTÆ TRINOBANTVM.

1607.

120.04

NEXVI INTER PRINCIPES ÆTERNO,
ET MEMORIAE FOELICISSIMI
HOSPITII AVGVSTISS.
R. R.
IACOBI, ET CHRISTIANI,
ANNÆ
PVLCHERR. REGINAE,
ET
HENRICI PR.
ORBIS BRITANNICI DELICIARVM,
ET SPEI:

VOTIS DEINCEPS BONORVM OMNIVM
PRO PACE HINC INDE
TVRCABVS
FVTVRA FVNESTA:
ET
SECVNDISSIMAE EORVM SORTI, QVI
NOBIS VOLVNT QVAM OPTIME, ET PRO VIRILI
ORNANT:
BRITANNIA
MATER L. MERITO POSVI.

TRICORONES.

Vid ſit acer THAMISIS miratus in hoſpite Rege,
(Fratre ſui domini) qui litora patria linquens, *Argumentum Poematij, hoſpes rex.*
Multaque chara adeò ſolo permotus amore,
Claſſe, mari vaſto, magnos inuiſit amicos,
Et tumidum officio fluuium, lætumq; IACOBVM,
Et lætos omnes, genialique ordine iunctas
Regales dext'ras, commendo nepotibus iſto
Carmine; PHAEBE, tuus, ſi me non euocet aura,
Non tua, ſed fallax, vultus mea cœpta ſecundet.
PHASIS habet vatem, micat ARGO ſydus ad AVSTRVM,
ORPHEA PHASIS habet, noſter ſed dignior ORPHEO, *THAMISIS ob hoc dignior celebratu quàm PHASIS ob ARGONAVTAS.*
Perfidiâ ſi pacta fides? ſi fauſti HYMENAEI,
Infauſtis? nec oui pax aurea ceſſerit vni?
Omne hinc crimen abeſt, non charior aduena patre;
Maius at EVXINO, mare quod tranſnauigat hoſpes;
Et ſcelere patefiet honos, claudetur honeſto?
Aſtra poli capitote noui, nec reſpuat æther, *Quædam præter argumentum libri.*
Et capient, ſtatuarque ſuper noua ſydera vates.
In cœlo noſtro, non noſter quid facit ignis?

PARRHASIO ARCADIVS quid cum temone BOOTES
Tam procul ARCADIâ? num fabula GRAECA meretur
Cœlos non GRAECOS? gelidi faſtigia mundi?
Fabula non equidem, ſed noſtra ignauia plura;
Proh pudor; HELLANICI fies SEPTENTRIO iuris
Semper? & ITALI â circumſcribêre LATONÎ?

Arcla pace inter CHRISTIANOS EVROPAEOS *firmata,*

Cùm ſanata pias GERMANIA colliget iras,
HESPERII que omnes ſocijs ductore ſub vno
ISTRVM Aquilis cogent, & quæ dat IVPITER arma,
Hunc ipſum in finem (ſi mens mortalibus eſſet,
Nec fumante oculos titione MEGAERA feriret)
Hæc eadem vertent IOVIS auxiliaris in hoſtes,

TVRCARVS,

Progeniem PLVTONIS atram, maculamque nefandam
Nominis EVROPAEI, & non ſua viſcera ferro
Crudeli fodient vltrà, ſtultoue furore
CAVCASIIS pergent reſerare latronibus orbem:
Cúmque erit æternis OTOMANNICA merſa tenebris
Luna (erit ô quando?) genuinaque lumina ſurgent,

Et TVRCARVM *tyranno deletio,*

Ipſa in SERRALIâ, SVLTANI que enſe, reſciſſo
SVLTANI capite, & pedibus calcabitur AGAR:
Otia tùm ſi ſint, mihi ſi tum viuere detur
Fœlici ô nimium, pollutos fabula cœlos

Magnificum quiddam de ſe promittit vates.

Deſeret, atque noui decorabunt aſtra coloni;
Ipſe ego vos ducam qui bello heroes honeſto
Inclareſcetis,

Inclarescetis, ducam inquam, atque annuet æther
Ritè repurgatus, nec erit SEPTENTRIO iuris
HELLANICI semper, totas sed in astra phalanges
Militiâ emeritâ referam, & formabo figuris.
Interea, dum cautus agor non nescius æui,
Aduentum regis tenui molimine texem.
Quà pelago ARCTOO se miscet BALTHICA DORIS, *Et repetit propositum.*
Angustoq; freto cognatas dirimit oras,
Seu GADES meditata alias, vbi ponere possit
Quis nouus ALCIDES, positasque ornare columnas,
Regnat CHRIST'ANVS, CIMBRORVM nobile culmen.
Hunc fama aggreditur Superûm amandante senatu: *Fama veri nuntia delabitur ad* CHRISTIANVM.
Haud ea quæ STYGIIS nutrita paludibus, orbem
Discruciat miserè, gaudetque illudere vanis,
Personâ fallens, aut quas prior occupat horis,
Vix superandus obex, planéque ACHERONTICA tabes;
Illa at candidior, quæ vera, & clara recludit,
Tota micans, rutili non infima gloria OLYMPI;
Quippè ferunt Alethe, non COEO hanc, ENCELADOue *Illa qualis, & quibus parentibus fata.*
Progenitam (est Alethe IOVIS optima, maxima Proles)
Ast IMEROS pater est, IMEROS blandissimus infans,
Quem genuit Cesto pectus CYTHAREA reuincta,
Cùm iam MARS thalamos non incestârat adulter,
Vndè placere probis habet, & placitura referre.

Veneres, Innumeras VENERES oſtentant virginis ora,
Lumina, labra, ſinus vegetat pulcherrimus ardor,
Quis non incaleat viſa hac? ſunt mellea verba,
Nec quicquam innocui ſubter, diuinitùs illi
Confectæ ex cryſtallo alæ, inſcriptæque bonorum
Nominibus regum, neque enim eſt acceptior vlla,
Velocitas, Aut dea tam pernix, non tu IVNONIS opacæ
Nuncia verſicolor, non tu CYLLENIVS ales
Sis quanquam IOVIS ipſius: Scit cuncta per ipſos
Qui dicunt, faciuntue: Illi inſuper vnica lingua eſt,
Vnica, ſed verax: Duo ſplendida lumina tantùm:
Monſtro diſſimilis: Non fas inuertere ſenſum
Illius, ſacras nec fingere murice notas;
Intima cognouit fœlicis vota IACOBI,
Intimaque explorata habuit pia coniugis ANNAE,
Quid dictũ ALBAE AVLAE, quid factũ VINDELISORAE?
Nulla BRITANNORVM, nec mundi regia clàm ſe,
In DANIA *reperit regijs intentum exercitijs.* Nec ſine ſe verum diuulgat. Vt ergo DANORVM
Peruenit ad ſedes, librantem haſtilia dextrâ,
Subdentem vel calcar equo, vel dicta, vel acta,
(Aut quid tale viro ſpiranti prælia dignum)
Verſantem heroüm, regem altâ inuenit in arce
Ad mare fluctiuomum: Facilem illum plurima notu
(Si non & (ſolita imperij) fax, purpura, ſceptrum)

Frontis

Frontis maiestas, sublimes oris honores, *Christia*
Fecêre, & procerum summa obseruantia suprà: *Vultu,*
Flos aderat DANIAE; vt quisquis vel mente, vel ore *Comitatu,*
Nobilior reliquis, pulchros quæsitus in vsus
Quà patet imperium, sociorum ascribitur ALBO.
Haud maiori aliàs resplenduit HAFNIA luce,
HAFNIA quæ tantum DANIAE vrbes eminet inter,
Quantum inter cœli minimos CYNOSVRA nitores,
Aut dux ipse viæ socios, testesq; futuros
Quærendi decoris, quanquam lectissima turba,
Solo & rege minor regem quæ cinxit euntem.
Ergo illum multis Diua officiosa salutat
Nominibus, gratum senserunt omnia numen,
Deinde sinus pandens roseos, & symbola nota,
Adloquitur. Quid adhuc te princeps magne moratur? *Affatur Dia*
Aduentum studijs arrecta BRITANNIA miris
Ecce tuum expectat, vultumque auet alma tueri:
Pendent a ventis (quos placauêre litando)
Parsque tui regina soror, coniunxq; sororis,
Cuius ad arbitrium mouet ANGLIA, rupibus antè
Horrida, nunc scopulos demersit in æquore diros,
Quiq; extant, antiquum omnes posuëre rigorem;
Ecce adblanditur NEREVS tibi, flamina blanda
Promittit BOREAS; Quid adhuc te Magne moratur?

...det conscen-...nauem,

Eia, age, ſcande rates, auibus pete litora fauſtis
Candida, nec nimiùm longa ſpe diſtine amicos:
O vtinam & thalami conſortem, & pignus, & ipſam

...emplo IA-...BI regis.

Fœlicem matrem tua tecum carbaſa ferrent:
Pone parùm regni curas, BRITICI que IACOBI
(Igne acti ſacro) pelagum qui ſpreuit eundem,
Adſequere exemplum, non hoſpes amantior vſquam;
„ Si fratrum rara eſt, certè concordia regum
„ Rarior eſt multò, rem perfice marmore dignam:
O vatum inconſulta cohors quæ vellera laudat
CHOLCHICA, TROIANI decantat prælia belli,
Intumet & monſtris, ſed diæ munera pacis
Cælica longæuo eſt dignata poëmate rarò,
Crede eris ANGLIGENIS acceptatiſſimus hoſpes;

...perium ab-...ntis fore ſe-...rum docet.

Nec metue imperio, namque hoc tibi nominis ingens
Seruabit terror reduci; Tua regna quis audet
Vel leuitèr turbare? graues conſcende carinas,
Iamque diu accinctas ventis, quæſtasque reiectos:
Stellas conſuluit TYCHO docto ſchemate, ſtellas
Porpitias retulit, ſunt en, nec delitet vlla
Cœli in parte dolus quem non induſtrius omnem
VRANIAE excuſſit Myſtes, atque ARCTICVS ATLAS;
Et, ſi mortalem palles, mihi fidito Diuæ,
Quæ fatis adſto, & refero mandata Sororum;

Sed

Sed quid tu mortale times? aut proſpicere vltrà
Rex potes? vlterior IOVIS eſto cura tuorum.
Omnia tuta domi, foris omnia tuta, nec ira
Horreſcenda deûm, niſi iam fortaſsè moreris.
His ſemel auditis perrupit, & expulit omnem
Indè moram ARCTOAE dominator maximus oræ,
Totus & eximio ſtudio inflammatur eundi:
Vix vacat amplexus, vix oſcula ferre maritæ,
Aut matris, prolisue ſuæ, ſed pergit, & ardet
Iuſtus APARCTIAS grandes motare carinas:
O quantæ pinus, has ô quot robora naues
Condere fat fuerant? fuit haud NORVEGIA tota
Tanto par operi, cecidêre altiſſima ligna,
Vixq; nemus fuerat, vel mons, vel ſaltus ibidem
Qui non perſenſit damnum, dùm quæritur arbor
Maxima de magnis, longéq; procerrima malo.
Abripiunt venti puppes, extraque receſſus
Aura ſinus CODANI fert in NEPTVNIA regna.
Velorum nouitas, & primi gratia motus
Excutiunt animo, quod nauſea ſuggerit ægris,
Abſentis vultum patriæ, abſentumq; penatum.
CIMBRIA mœſta ſedet magno velut orba parente,
Verſa in CYMMERIAM dum non ſua lampas habetur,
HAFNIA Metropolis Muſarum florida ſedes

CHRISTIANVS *ad hoc mouetur ſeſe.*

Claſſis regia DANICA *laudatur.*

Mœſta CIMBRIA *ob abſentem regem.*

Ingemit, & pullum HELSINVRA capeſcit amictum,
Votisque ob reditum conceptis omnia flagrant.
...ua his viſis ...RITANNI- ...a verſus pro- ...rat.
Poſtquam at Fama procul cernit de litore claſſem,
Euocat ad reducem molliſſima flabra ferendam.
Sternitur aſt illi primùm quaſi plumea nubes,
Deinde cubat, volitatq; celer ſuper æthera vecta;
Vtq; volat, procul vtq; ingentem ALBIONA (feſſum
Nequicquam optatos longum expectando triumphos)
Rupe albente ſuper vidit, iuxtáque iacentem
Ludere ripicolas Nymphas, Nymphasq; marinas;
Heus venit ingeminat, venit optatiſſimus hoſpes;
Excitatur ALBION.
Hoſpitis ad nomen LYBICO conſurgit ATLANTE
Vaſtior, horriſono raditque cacumine nubes,
Cæſaries illi quercus, ſua tempora querno
Cinguntur ramo, percurrunt turgida venæ
Membra metalliferæ, frons, ceruix, femur, omnia fido
Marmore ſquameſcunt, hiemes contemnit, & ignes,
Ocëanoque extans diſpeſcit cærula plantis:
Nec Dea plura loquens, cupidam feſtinat ad Aulam.
O quantis illic ſtudijs bonâ nuncia? quantis
Plauſibus exciperis? ruit inclytus ipſe IACOBVS,
ANNAq; in amplexus famæ tam læta ferentis.
Eſt locus ad THAMISIN multâ qui turre ſuperbus,
Olìm cui clarum (ſic fama) PLACENTIA nomen,

Nunc

Nunc dictus GRENOVICVS: Ibi tum fortè manebant — GRENOVICVS vna ex illis regijs.
ANGLORVM columen ſummum, & pulcherrima coniux,
Tanquam excepturi primo opportuniùs illic
Hoſpitio fratrem, quo nemo gratior vnquam:
Nam, quanquam illa procul, ſtat proxima regia ponto,
Fauſta puerperio, ſed nunc heu obnoxia fatis:
Numen, amaroris guttâ ſic temperat vnâ
Millè voluptatum, & quaſi dulcia condit acerbis.
Colle ſuper celſo hîc ſtatuâ fulgente IACOBI,
Quem poſuit Diuo magnas inſignis HOARDVS,
Grati animi indicium, ſtat NORTHANTONIA moles, — C. NORTHANTONIENSIS pij ſumptus illic.
Vndè quis auguſti LONDINI mœnia, turres,
Milleq; pyramides, & ſemper nubila fumo
Tecta, vndè & claſſis munitæ diſcolor agmen
Proſpicere, & campos vernos, ſyluaſq; ſonoras.
Auolat hinc rumor, totamq; exuſcitat vrbem. — Ab aula ad vrbem maturat Dea.
Iam feruent animis proceres, iam quiſque videri
Vult prior officijs, rapit omnes gloria regni:
Poſt famam venit ipſe heros, cui CIMBRIA priſca, — CIMBER in conſpectum ANGLIAE venit.
Cui GOTHIA, EVROPAEAE nobilitatis origo,
(Mitto NORVEGIOS) & piſcoſiſſima THVLE,
Vni omnes, pluresque virent: Sis fautor APOLLO,
Cætera dum recino. Propè iam nunc ANGLIA cernens
Velorum tumidoſque ſinus, maloſque proceros,

Nauibus obſtupuit viſis ſuper æquore tantis,
Queis facies peregrina fuit, peregrinaque ſigna:
Et ciet ad rupes, queis cingitur inſula, vulgus,
Vnà vt ſpectarent, mirarenturque volantes:
CIRCIVS ÆOLIO ſe nunc in carcere condit,
Subſidit THETIS, pontuſque immurmurat Io,
Io TRITONES reſonant, cœlum intonat Io.

APOLLINIS *amores in* ANNAM *Reginam.*

Cauſa quidem in promptu eſt, namq; olim DELIVS ANNAM
(Deperit haud formas vulgares DELIVS autem)
Fortè pererrantem DANIAE inter amœna vireta
(Antè ſuis thalamis quàm fax HYMENAEA reluxit)
Vidit vt e curru radianti, protinus arſit,
Vulneribus totidem incauto pereuntibus illi,
Quæ puer Arcitenens crebrò nimis intulit olim:
At ſimul vt, PARCAS adiens, quæ fata manebant
Fœlicem nouit, nunquam & ſuperabile pectus
Virginis, atque genus clarum, defluxit arundo
Sæua inflammato pulchri de pectore PHOEBI,
Succeſſitque loco veneratio ſumma veneni;
Namque Cupidineis velut eſt obnoxius armis,
Sic illum agnoſcit contrà ſapientia patrem:
Stultê ait ô CYNTHÎ, non fas eſt vriér illinc,
Virgo alijs ardet facibus ſe principe dignis,
Regibus orta, ſoror regis, regiſque futura,

(Qui

(Qui tua ſacra colit numeris fœlicibus) vxor,
Regia tota, futura parens ijs regibus, orbem
Qui totum implebunt factis, immota manebit:
Immanes ergo fugiant e pectore flammæ.
Scilicet at liceat curare ne fortè quid vnquam
Diſpliceat placidæ, & ſtellas innectere fronti,
Cùm Dea ſera petes meritam inter ſydera ſedem.
Dixit, &, vt decuit, verbo ſtetit, omnia ſemper
Grata parans, veluti iam fratris proſpera vela.
Ad THAMISIN ventum eſt; Fulmen volat vndique læto *Claſſis* DANICA THAMISIN *ingreditur.*
Factitium ſonitu, nauis primaria vaſtas
Contrahit indè alas, labuntur pinea tranſtra
Per pice inunctos funiculos, & hamata ſub vndas
Anchora: ſtat claſſis placido velut æquore vultum
Nympha tuens clarum, & tanquam luctando marini
Vim iam elapſa Dei, crines ac ora refingens,
Atque exultanti ſimilis nunc gurgite ſummo
Nunc imo ludens, repetenſque aſpergine nubes:
Vtq; ſtat, nudarum vis gratabunda choreas
Exercet, nec enim deërant qui fortè putabant
Grandem hîc ANGLORVM ſe compoſuiſſe TRIVMPHVM *Nauium aliquot* BRITANNICARVM *maxima nota nomina.*
(Poſt pelagi caſus) ludentis ad otia portus,
SERTVM aut (GARLANDAM vocat ANGLICA lingua) vel VRSVM,
NONPARILEM ue alias maiori aut mole carinas

Quas non nouerunt: Aurata inſignia puppes
Exornant DANICAS, viſa eſt tota aurea claſſis:
Inſignium DANICORVM deſcriptio, & meni. Cyaneis ſplendent aurata Leonibus arma,
(Depoſito REAFAN piceâ cornice coruſco)
Cæruleum eſt pelagus, ſignat leo robur, vtriſque
Corda hominum accedunt (ſi non folia illa triquetri
Sint potius Nymphæi) atque hæc, interprete PHOEBO,
Illius in pelago monſtrant, prudenteque ductas
CHRISTIANVS *ipſe amicas terras proſpicit,* Conſilio vires. Rex ipſe ſimillimus aſtro,
CAESAREOue, VENVS qualem fouet alma, cometæ,
Exilit in medium comitatu cinctus ouanti,
Regnorumq; trium Genijs queis præſidet vnus,
Votaque perſoluit, funditque e pectore grates:
Clamor it ad cœlos, & amicis vocibus vltrò
Compellat ſocios, vicinaque rura ſalutat:
Et affatur. Salue ait ô tandem, ſalue chariſſima tellus,
Iure adamata æquè noſtra ac DANEMARCHIA nobis,
Cuius & ob decus, haud vel denſâ claſſe vererer,
Vel pedes ire tuos (quocunquè daretur) in hoſtes:
Finitimas æquâ tu libras lance monarchas,
Tu facili imperio, tu certo hærede bearis,
Quodq; mihi in votis, cernis charamq; ſororem,
Inſignemque virum, & belliſſima pignora natos,
Quorum, idem patris, populique (futurus & orbis)

Deliciæ

Deliciæ es puer HENRICVS, primique decores:
Annon ô ſocij primis obtutibus iſtæc
Arridet tellus? annon HOLSATVS ad aures
Quæ retulit noſter germanus vera videntur?
Quæque prior multùm gratus RVTILANDIVS heros,
Gemmea GARTERII portans inſignia nobis?
O ſoror, ô quantum tua ſors præcordia noſtra,
Exhilarat, magis & quòd eâdem vtare modeſtè:
Sæpè etenim, attenüant magni vim mentis honores,
Haud minùs ac vinum, nimius vel lumina fulgor:
ANGLIA noſtri igitur pigeat neu te oro laboris,
Sum tuus, &, ſi quid valeam, faciam vſque fateri:
Haud regum eſt eadem ratio quæ plebis eundi,
Cauſa viæ affectus chari, ſed & altera cauſa eſt,
Regni vtriuſque bonum, *regno benè vertat vtrique.*
Hæc ita dum fatur, longè videt arduus heros
Spumantem ſeſe criſpare, & tollier amnem
Dum premitur, nimij reſilitque a mole paratus:
Pompa ſequax turmæ venientis degrauat vndas;
Senſit rem CIMBER, monet ergo protinùs omnes
Accingant ſeſe, venit inquit enim optimus hoſpes;
Quiſque ſuum peragat munus, venit ipſe IACOBVS;
Indè, datis ſignis, a tota claſſe tonatur
Magnificum in morem, vomit omnis machina flamas;

Dux HOLSATIAE *frater* CHRISTIANI.

C. RVTLANDIAE *legatus in* DANIAM.

CHRISTIANVS *longè cernit ma, ueri flumen.*

Et regem fratrē aduentare.

Iurares ardere vndas, incendiè æthram;
Sulphureo abſcondit ſub tegmine cærula nubes
Ereptas oculis naues, vox nulla tubarum,
Nulla nec huc illuc curſantum audita virorum,
Vix IOVIS ipſius (cuius, quando ærea nulla
Tormenta auditum impediunt, quàm ſæpè ſolemus
Temnere ſurdaſtri?) valuit penetrare per auras.
At iam diſpulerant ZEPHYRI quæ nubila fumus
Conglomerarat ater, cœlum & ſolenne priores
Induerat vultus; iam pompa propinquior inſtat;
Venientis pompa. Tortilia inflabant TRITONES buccina, & agmen
Ducebant, poſitis inſignibus AMPHITRITES;
Squamea non illis chlamis eſt, non lubrica piſcis
Terga, humeros veſtis retegit nitidiſſima latos,
Inque illis etiam tria corpora fulua leonum,
Cancelliſque rubris ſeptus florentibus alter,
Lilia fulua, lyræque auratæ picta fuere:
THAMISIS pars agminis. Inde pater THAMISIS Nymphæo, & flore reuinctus
Tempora honorifico, contorquens lumina læta,
Grandior it ſolito pro maieſtate diei;
Tinxerat & canos, bene olenti barba liquore
Tota madet, caluo pactique in vertice crines;
Mirificus eiſdem ornatus, & picta veſtis. Haud placuit priſco fluuiorum more venire,
Luxuriem ſapit ille æui, quas INDIA gemmas,

Vtraque,

Vtraque, quas ASIAE telas dant, explicat omnes:
Syrma habuit pretij ingentis, quod pinxerat olli
Lucida PALLAS acu: Argumentum, fluminis oræ,
Atque omnes a fonte viæ, quot rura, quot vrbes
Adlambit THAMISIS donec pertingit ad æquor,
Quamque trahit post se partem leuat inclyta NAIS:
VINDELISORA illìc, HAMTONIA florida, RICHMONS, *Ædes regia ad flumen.*
Oppidaque, atque aliæ non parui nominis Ædes,
Ingens LONDINVM pallam penè occupat omnem;
Hic fremere ad pontem, fornicesque omnibus vndis
Arietibus veluti impetere, & vertigine canâ
Obstreperus ferri dum desuper incola ridet,
Nec totidem e domibus, queîs machina clara superbit,
Vna vacat metui, sed sub iuga saxea mittit,
Ille in vindictam, cymbas, hominesque voraci
Ecce haurit fluctu, sæuisque insultibus instat.
Desinit in ponto descriptio, limbus vterque
Diuini fluuij nusquam sine luce domorum,
Vltima nec decori ponit GRAVISENDIA finem.
Exultans niueis perfulget oloribus amnis,
Nymphæ omnes adsunt fluuiorum numina magna;
Innumeri hinc proceres, illustria sydera regni,
Nec suffulcra minus, suprà quos ipse IACOBVS, IACOBVS *ipse.*
Contemptor rerum, queis mens perstringitur, & queis

Fucus

Fucus, vel fortuna præeſt, ſed pacis alumnus,
Et par imperio maiori ritè gerendo
Quam quod fœlici, doctoque tenore gubernat:
Auguſtæ veſtes, auguſti vultus honores,
Sed quid opes? orbis ferè gemmâ geſtat in vnâ,
Concharum fœtus claros, adamanta, pyropos,
Omnes præcipuos: vile ergo ſordeat aurum:
Omnes præcipuos etiam DANEMARCHIVS heros.

Eius regalis phaſelus.

Rex ſuper æquoreo ſedet, atque ingente caballo,
Auro cui fulgent ſquamæ, qui grandibus vndas
Perſulcat pinnis, vndas quas naribus efflat:
Haud alitèr quàm ſi radiante Tridentifer ipſus
Viſeret in curru dominam maris, OCEANVMuè:

Regno Germuniæ, ſtipatores.

Regnorum circa Genij, queis iure IACOBVS
Præſidet, aſſiſtunt: Bellax primùm ANGLIA, bellax
SCOTIA deindè, atque has vtraſque BRITANNIA mater

VNIO BRITANNICA.

Complectens in ſe (quæ ſi rex, munere veſtro
(Vt cœptum eſt) vnquam ſtabili potiatur honore,
Vincula concordum non peſſima franget ERINNYS)
Poſtremùm malè culta, tenax, hiemalis IERNE.
CAMBRIA quod regni non iactat nomen vt olim,
MANNIA que exilis veniunt poſt terga regentis:
Aſt alio totiès noſtrati a milite ſtrata
FRANCIA bella modo, & tanquam ſi libera tandem

Vix

Vix ſequitur, ſed enim neu clara virago ſuperbî,
Imminet HENRICVS ceruicibus, ipſe IACOBVS — HENRICVS Princeps.
Si tantùm hoc vellet, iam nunc velut antè iaceres.
Aſt incuſat iter (cupiens finire) BRITANNVS
Tædij, & impatiens queritur ſe tardiùs ire, — Impatiens via IACOBVS.
Quanquam ales celox quantumuis remige multo
Polleat, aut velo, curſu haud æquârit euntem,
Qui volitare magis quàm tantùm currere viſus,
Quin & cum propiùs iam cernitur alter ab altero,
Inque vicem aſſurgunt, & vertice nudus vterque
Longè ſe inflectit, decet vt faſtigia tanta
Humani generis, ſuperûm mortalibus inſtar.
Cùmque ANGLI CIMBROS, CIMBRI ANGLOS vſq; ſalutant,
Iuncturi iamiam dextras, animoſque volentes,
Iam tùm, ait ille tamen, quando ô te cernere frater, — Optati congreſſus deſiderium.
Inſimul atque frui dabitur? qui patria regna,
Et virtute tuis propriâ HALCYONEA parata
Otia liquiſti, & dulces ſuper omnia amicos,
Nil metuens SYRTES, nil cœli incerta, nec ORCI
Inſidias furui, modò nos, & noſtra videres;
Quando, ait, ô proceres quando? & dum talia fatur
Fit voti compos, coniuncta carina carinæ eſt,
Atque latus lateri, feſtinant CIMBER & ANGLVS: — Congrediuntur.
Prendit equum TRITON per frena operoſa marinum,

Tritonis *officium.*

Atque manu collum mulcet, pinnasque reponit
Fluctifragas, socij congressum regibus aptant,
Demittuntque gradus per quos ascenderet Anglvs,
Inque suum inclinant hilarantia pocula Bacchvm.
Omnis nudus apex, omnes veneratio summa
Inuadit, saltat chorus officiosus aquarum,
Multa Syren, tuba multa sonant: Quis cætera Phoebvs
Decantare valet? Cur non oculatus & ipse
Adsueram testis? quò plenius omnia versu,
Et melius struerem: Mvsa at mihi suggerat vltrò.

Officiosè cedit Britannvs Cimbro.

Proripit Anglvs ouans sese, Christ'anvs at imam
Cogitat vt nauis scalam velut obuius, illum
Præpedit alter; Amor neque iustos ambit honores:
Et, si hic e Dania, cur sedibus ille grauaret
In proprijs colere? atque hunc præferre sibimet?
Sic cedendo, nihil regni de iure recedit,
Laudibus at crescit morum potioribus auctum;
Debebat frater fratri, rex talia regi
Officia, ambo pares, & quorsùm quærimus vltrà?
Congressum vtrimq; est, & nunc amplexibus hærent.
Vos ô Tyndaridae cœlestes, astra gemella,
Multiplici cœlos decorantia luce superbos,
Fas sit vera loqui: par istud nobile regum
Sic ornat terras, vt Olympvm sydera vestra:

Vos

Vos cùm ſplendetis tempeſtas vt fugit omnis,
Atque ſuis mauult furere impetuoſa cauernis,
Quàm miſeras vexare rates, quàm infrendere dirum,
Mulcet ita humanas pax nunc benè conſcia mentes.
Amplexantur vtrinque en iam: Prior indè BRITANNVS *Amplexus.*
(Heroëm vt decuit) regali alacerrimus ore
Adloquitur (meliùs verò ſcit nemo loquenda) *Alloquium.*
Sed paucis, tantùm namque ô chariſſime dixit
(Plura quid?) huc longè venis optatiſſimus hoſpes,
Veſtrum eſt (ipſe etiam) hoc quicquam quod cernis vbiquam;
Quique ſalutatum mecum venit optimus hæres,
Hoc idem affirmat: Stetit autem a patre ſecundus, HENRICVS *Princeps.*
Lucentis pernox ceu ſtella pediſſequa LVNAE,
Ad dictum verò roſeus rubor inſilit ora,
Haud aliter quàm quæ AVRORAE eſt, reſtinguere quem non
Quiuere, at ſaltèm cælarunt oſcula CIMBRI.
Pergit præclarè noſter TRICORONIS, & inquit, *Pergit* IACOBVS *alloqui.*
Hos ego quàm cupij ſpectare ardentèr ocellos!
Quàmque lubens ſpecto! nam ſi nec pontica monſtra,
Nec turbo præceps, nec læſit torua vorago,
Quin nec ſunt vobis quid tale minarièr auſa,
Non ego lætarer? Nos (maxime amice) valemus,
Ipſe ego, coniunxque ſoror, ſoboleſque ſuperſtes,
Quorum nil votis (cõncrede) deeſſe videtur,

Quàm quod adhuc non te videant: properemus ad Aulam,
Nautica commodiùs permenſi tædia ponti
Deleturi: iterùm venis optatiſſimus hoſpes.

Christiani magnifica reſponſio.

Magnificè veterum Cimbrorvm Martius hæres,
Et pluſquam ſpecimen, complectens plurima paucis,
Reſpondet. Talem quòd te nunc optime frater,
Huncque tuum, gnatum, illuſtri de germine germen,
Iàm videam fœlix (viſurus & inde ſororem)
Summa mihi merces, etenim per ſydera iuro,
Perque tuum, & noſtrum caput, atq; vtriuſq; coronas,
Nil magis in votis, nil immoderatiùs arſi:
Hoc ſatis eſt pelagum emenſo: nam non ego ventos
(Progeniem infidam) ſcopulos non inſidiantes,
Non breuia extimui, nec enim eſt vaſtiſſima Thetis
Obſita damnoſis tantùm, occultiſque periclis,
Sunt etiam & terræ ſua, quæ quod munere Diuûm
(Queis reges curæ) ceciderunt irrita cuncta,

Gratulatur fratri.

Gratulor ex animo, faxint vt gratuler vſque.
Sed quid nos plura hìc? ſcio ſum gratiſſimus hoſpes,
Omniaque vt breuitèr, nobis gratiſſimus & tu.
Iam non ſermones texendo teramus, at horas
Factis quàm dictis potius, Genioq; litemus,

Amplexui instauramur.

Amplexemur vtrimque iterum (amplexantur vtrimque)
Iamque iterum atque iterum, poſt indè vacabimus Aulæ.

Alter

Alter ad alterius ſocios iam vertitur, hoſce
(Officijs proni) amplexu dignantur, at illos
Conuexis manuum, ſceptris quas nemo gerendis
Non ſciret natas, viſo candore niuali,
Aras pacis opimæ, & dij altaria honoris:
Dein ſocij alternè ſocios pro more ſalutant,
Inque vicem ſeſe affantur ſermone LATINO
(Communi terrarum orbis, quo CAESAR & vſus
Terrarum dominus, dignè reuocandus ad Aulam,
Tantorum exemplo regum) ferit æthera plauſus,
Miſcentur voces, miſcentur pocula, dextræ,
Mens cunctis vna, *appulſum celebrare triumphis.*
Aſt puer HENRICVS, qui oculos attraxerat omnes,
Suſpicit egregiam nauim, tormenta, rudentes,
Et reliquum inſtrumentum omne, & miratur, & optat
Vir fieri potiùs quàm rex, par talibus eſſe:
Macte animis Princeps, aderit iam firmior ætas,
Quæ producet auos, quaſi nunc in caule latentes,
Floremque emittet pulchrè excellentia facta,
Cùm ſenium patris, aut regni fortè ardua poſcent
Tu memini interèa, *appulſum celebrare triumphis.*
Chara recordatus iam ſenſa LATONIVS ANNAE
(Scilicet, eximium cum primis cernere fratrem)
Votorumque memor, veteriſque haud immemor ignis.

LATINVS
mo, a regib
ſurpatus la
tur pra ali

HENRICVS
Princeps.

Feſtinabat equis rapidas auriga quadrigæ
Præcipitare rotas, aliumque accendere mundum;
Quin iubet hoſpitij præſes SATVRNIVS ipſe,
ERCVRIVS. Filius vt MAIAE de cœlo nuncius iret,
Tam monitum geminos TRICORONES tempus abire,
Quàm CIMBRVM in primis varijs de rebus agendis:
Deuolat ille celer, mandataque feruida perfert,
Et velut in ſpeculo monſtrauit plurima clàro.
Tum meminit CIMBER quanta expectatio in Aulâ,
Quantaque in vrbe vocant ciuilem in laudis arenam,
Tum quoque quàm latus pateat ſibi campus honoris,
Dum prudente coràm, ſibique aſſurgente Senatu,
Celſo EGERTONO, vim declinantis aſylo,
itib. DOR- SACVILLO illuſtri, docto excellenter HOARDO,
IAE, NOR- ANT. SA- CAECILIOque ipſo magnarum cardine rerum,
VRIAE. De queiſuis dabitur ſentire, & dicere rebus,
Quæ iura ad regni, regiſque ad munia ſpectant.
ium erga Formarum eximij, iuuenum ô clariſſime, cœtus,
tem regem Quas etiam optaſſes olìm, & quas forsàn vbique
tus ami- Haud paruo inuenies numero, incultaſue, rudeſue,
rimis AN- Aſtris ſed pariles totidem, ſoror inter at illas
regina, LVNA velut ſtellas excellentiſſima longè:
is ſue. Os, oculos, geſtus, omnes vno ore probabunt,
Diceturque beata nimìs te coniuge coniux,

At

At neque caſta ſinent vltrà ſua vota vagari.
Nec dominæ ſolùm te talem laude, ſed omnes
Afficient, quiuis quâ pollet parte, trahetque
Vnuſquiſque ſibi totum, dum ſingula cenſens,
Aut hoc, aut in te præſtantius aſſeret illud,
Omnia nequicquam verſans, ſumma omnia cùm ſint : *Summa omnia in* CHRISTIANO.
Illa etiam ipſa, procul quæ plebs miratur amuſa,
Seu coma, ſeu gladius, ſeu pluma leuiſſima rerum,
Plebs niſi quòd leuior : SPECTANT heroica gnari.
Intorquet pictam nemo te certiùs haſtam, *In haſtiludio peritia.*
Sed neque torquebit, nam ſeu annulus aëre pendens,
Cuſpide fraxineâ, frenoque vndante petatur
(In tollendo autem ſtat equeſtris gloria curſus)
Tu demtum haſtili circùm caput vſque rotabis,
Gliſcente ad facinus per CIRCI mœnia plauſu ;
Siue exercendum eſt armatâ in imagine ferrum,
Atque parùm abludens a vero Marte düellum,
In plura erumpet nullius lancea fruſta,
Nec ludi pro lege magis (vix cuſpide fractâ)
Quàm tua, quando arti concedere robur oportet :
Feruentem vtque agitabis equum feruentior ipſe, *Deſcribitur equum bellicum exagitans.*
Cumque mouente mouens, tanquam ſi corpore in vno
(Nobilis ad ſpeciem CENTAVRI) iunctus vterque,
O clament bene factum omnes, ô robur, ô artes,

Principe

Principe magnanimo dignas, & alacriùs indè
Vrgens tu, exagitansque, instat nunc calcibus ille
Mortiferis, timidasque ferox diuerberat auras,
Nunc tangens pede humum nullo, velut æthere pendet,
Indè caper tanquam, virgâ admodulante sonora,
Mentitur saltus, lapides cum puluere spargens,
Hìnc rotat in gyrum sese, decursitat indè,
Et medio in cursu sistit, ruit vndique sudor
Spumeus, insignes ardescunt motibus armi:
Sessorem regno scires, ex arte sedendi,
Assuetum, huc illuc doctumque impellere gentes;
Nec sit stare loco quanquàm iàm rector anhelus
Desistat, palpetque manu crispantia colla,
Sed pede sublato nunc hoc, nunc succutit illoc,
Plenusque irarum vix tandem auscultat habenis:
Nobilium iuuenum queis res arridet equestris,
Clamante, ô bene factum iterùm velut antè coronâ;
Nemo magis belli, pacisue optabilis artes,
Callet, & vt nemo, sic rex celsissime tantis
Æquior haud vnquam dabitur virtutibus vlla
Pandere quà possint sese quàm regia fratris,
Vt non deliteant DANIAE inter dissita semper,
Ast alias rapiant incendia in æmula gentes;
Persensit iuuenis, nec vano accensus amore

Laudis

Laudis, adornatam iam totus cogitat Aulam,
Conſcius ipſe ſuæ virtutis, & acriùs ardens
Quòd IOVE progenitus tacitè promiſerit HERMES
Iam fore vt aduentus (PHOEBO inſinuante furorem)
Immiſſoque HELICONE adeò, CYRRHÂque refuſâ,
Orbe celebretur toto, non carmine tantùm
Sed Genio forſan qualem vult fama perennis:
Marmor, & æs perëunt, ſed non quæ dictat APOLLO.
Proindè morâ poſitâ & fini congreſſibus iſtis,
Aurea deſeritur claſſis, pompâque ſonante
Ad nutum refluo THAMISI properatur ad Aulam. *Reges ad GRENOVICVM properant.*
Quod volui cecini, quo numine iudicet orbis,
Certè equidem hoc animo ventura vt ſæcula noſcant,
Et præſens ætas imitetur. ô quando videbo
Diſſidijs poſitis queis, coniunctiſſima quondam, *Poeta in TVRCAS iterum inuehit.*
Nunc ſciſſa in partes EVROPA miſerrima flagrat,
Vnanimos reges, TVRCAS immania monſtra,
TARTAREI IOVIS examen, flagrumque ſuperni, *Eiuſdem pro illorum deletione votum.*
Pellere PANNONIIS, atque armis BOSPHORON vltrà
In veteres latebras? quos res daret illa triumphos?
Et verſus quales? ritè impellentibus œſtris,
Carmina quantouis durabiliora trophæo.
Regis ad aduentum, iuueni, & quem ſola poëtam *Oeſtrum poeticum deſerit nouum vatem.*
(Ne prorsùm interëant tanta) indignatio fecit

Breuiter perstringit hospitij festos ritus, & triumphos.

Est ceciniſſe ſatis. Mora tot celebrata triumphis,
(Curta licet nimiùm, præcepſque anguſtia) ſummos
Propter ſplendores vult iuſtum ſola volumen,
Integrumque virum, me territat ardua moles

Annae reginae mirifica venuſtas & latitia.

Plus æquo audacem : Quæ plurima lampas in vnâ
Ad viſum fratrem, reginâ explenduit Annâ,
Haud penecillo aliquo, nulla effingenda metallo :
Frontis candores, oculorum ſydereüs flos,
Forſan adumbrari nitente a Pallade poſſunt,
Atque ita, iurares furtiuâ vt viuere flammâ,
Aſt clari affectus, aſt mens, & cætera Diuæ,
Non magis ac virtus, & vis, & lux pretioſa
Fœminei mundi quo cultior Anna renidet
(Nata Iovis cerebro, textrinæ ô cælica preſes)
Nec verbis valeant, nec acum ſuperante poëſi :

Epulæ.

Tum quantas Grenovice epulas? quos obſtupuiſti

Chori.

Aula choros? quales formas? ſaltante vtriuſque

Duæ Lenoxii ſtirpis regiæ.

Sexus præcipuo quoquo, ſaltante Lenoxo,
Ornamento & parte etiam domus imperitantis,

Arbella Stvarta virgo illuſtriſſima.

Saltante Arbella, regalis & hac quoque ſtirpis,
Cœlibe quæ gaudet, quanquam maturrima, lecto
(Ales Arabs veluti) exemplum virtutis, & artis.

Comes Arvndeliae Hoardicae familiæ faſtigium.

Inclyte Arvndelî, flos nobilitatis, & idem
Gentis Hoardorvm, quid te ſine, clara iuuentus
Orditur?

Orditur? ducitue ad finem? macte vir armis,
Consilioque magis, charùm caput, ipse PHILIPPVS — *Comes* MONTEGOMERICVS.
Lux HERBERTORVM, nec nunc a fratre secundus
Natu maiori, rege indulgente IACOBO,
Cedere non dedignetur, non florida turma
Magnatum ANGLORVM: Neque vos RAMSAEVS, & HAIVS — *Vicecomes* HADINTONIAE, *& Baro* HAIS.
NORDOBRITANNORVM par florentissimum abestis.
Hisce acupictores aulæa, his pingat ISAAC
Historijs tabulas: En personata subintrat
Fabula & ANGLIACÈ scire attentissimus heros — *Comœdia vernacula* ANGLORVM *lingua.*
Iam nimiùm vellet, vendente interprete vappas,
Sal comicus reges, & totam perfricat aulam;
Dij, queis sunt hominum res, & commercia curæ,
Qui reges agere, & vulgus, sua quemque videtis,
Quam læta hæc facies? succedit musica laruis, — *Musica.*
Et iàm cùm serum pleno micat agmine cœlum,
Ipsaque nox nurat, somnoque immersa quiescit,
Et iocus, & lusus circumuolitantque, vigentque,
Nectitur hora horæ, ac in lucem vertitur vmbra;
Exclamatque aliquis (nec fortè EPICVREVS ille) — *Somnus incusatur.*
Cur nisi cum requie superesse dedere beatis
Numina? cur somnos? Nimirùm est summa voluptas
Alternare vices, & non his vsque carere.
Manè canes adsunt, tremulæ discurrere damæ, — *Venatio.*

Frondibus incaſsùm nemora occultata ſonare,
Venator PHOEBVS, venatrix vnica PHOEBE,
Iacobvs alter Phoebvs. Atque vtroque vnus maior, meliorque IACOBVS.
Quis finis tandèm? luſus luſum excipit, & iam
Aucupium. Aucupio indultum: Sua dein certamina certant
Gallorum gallinaceorum paria. SOLIS aues, meliùs ſed MARTIS, talibus illæ
Bellum ineunt animis: mors, aut victoria meta.
Vrſi. Nunc iuuat horrendos vrſos laniare BRITANNIS
Tauri. SARMATICOS canibus, tauros laſſare feroces;
Leones ipſi canibus agitati. Quin audent ijdem (res ſæpè experta recentèr)
(O nimiùm audaces) contemptâ morte leones.
Ludicros naturam omnem rimatur in vſus
Ingenioſa dies, animal non præterit vllum.
Luctatorum paria. Gladiatio. Prodit neruoſis iam ruſtica lucta lacertis,
Prodit nuda humeros gladiatio ſanguinolenta,
Telorum omne genus ficto haud certamine tractans,
Et punctim, & cæſim paribus confligitur armis,
MATTHAEVSque pugil, TVRNERVS & æmulus, artes
(Par clarum) oſtentant hoſtili more cruentas,
Oſtentantque alij, vix ſeſe continet heros
OLDENBVRGIACVS, quin enſes tractet & ipſe:
Sphæriſterium. Dein pila diſcurrens, dein alea lubrica feruet,
Dein tabulæ inſignis bicoloribus area quadris,
(Eximium inuentum ſed quod vix nomine ludi
Cenſendum)

Censendum) & quicquid didicit, nil prorsùs agendo,
Gens humana agere, aut quibus assolet Aula vacare;
Haud minus ingenij solatia nobiliora,
Griphi, Musa, sales, ac cætera opima Reperta.
Non nunc arcana imperij, nec seria frangunt,
Si sub quicquam vrat tacito molimine cælant,
Atque has insumunt reges peramœnitèr horas.
Parua hæc, & nimius sum in paruis, copia turbat,
Quamlibet ELISIIS TEGEAS si forsitan vmbram
Eduxit campis, Bardi siue illa BRITANNI
ARTHVRVM expectantis adhuc, siue esto IOSEPHI
ISCANII, summos quem quis reperire poetas
Inter apud Manes, SIDNAEI, aut CHAVCERIS ANGLI
(Quid ni autem eduxit?) spectacula vt ista videret?
(Atqui certè eduxit) eam tum fortè reuersam,
Vmbrarum reliquum cantantem exaudiet agmen,
Quanta efflorebant THEOBALDAE CAECILIANAE
Lætitiâ, vtque suis, vicêre SIBYLLINA, scriptis,
Inscriptis WELCOM folijs, spargentibus Horis,
Vtque domus dominus longè maiora volutans,
Vix quicquam potuit festino vtroque tonante:
Nil præstasse sibi, licèt omnibus omnia visus.
Illam etiam, solito cùm AVRORA illustrior, vmbras
Impatienter agens, stellasque a vertice, fulsit,

Ingenij solatia vsurpata.

Arcana imperij seposita.

Anima ex ELISIIS agris quæ de his ad vmbras socias referet.

Comitis SARBVRIENSIS nunc regis IACOBI ædes.

Eiusdem magnifici apparatus in excipiendis regibus.

Gnara dies quantos pareret ventura triumphos,
Illam, inquam, vmbrarum cantantem exaudiet agmen,
arce LONDINENSI. Annosa AVGVSTAE quid in vrbis viderit arce,
Congestas iuuenis quot opes antiquitùs illic,
Quos cumulos auri, quot ahenea, nomine nullo
rmenta lica. ROMANO dicenda, vocant tormenta recentes:
ARALDI. Dum pompam doctè disponit multus HARALDVS.
nitrus bombica manes pent. Ast tonitrus fulgetra noui conante poetâ
Pingere veridicè, placidissima credere turba
Vix audet primò; fide factâ, ô numina, clamat,
LMONEOS entum sup-um. Quid torqueri vltra finitis SALMONEA? quorsum
Ob solos ausus? non nunc imitata videtis
Fulmina, sed nocuis superari mitia flammis,
Non ego (nec, quanquam vellem nimis, annuit otûm)
natus & apparatus varij. Ornatus procerum, phaleras describere equorum,
Quanta nec illius lux fortunata diei,
Quâ longa est pompâ sese extendente per vrbem,
Audeo: Quid geminis fiet tum solibus? ipsos,
Ipsi cùm possint adeo benè carmine cantent.
primis vrbis VGVSTAE. TVRRIS (quam dicunt) a limine, ad vltima FLETI
Compita, continuo rutilabant lumine ciues,
Longum iter, atque viæ consignans millia multa;
Sim breuis, antiquum obtinuit, vix rege IACOBO
Primùm intrante suos vrbs fœlicissima muros,

Maiori

Maiori exarſit ſtudio, pro tempore magnum
Oſtentans etiam: vicos vexilla per omnes, *Vexilla.*
Atque ſuis lucent myſteria ſingula ſignis,
Non tubicen, non cantus abeſt, non pegma, nec arcus, *Tubicines.*
Non quicquam feſtis celebrandis conuenit horis; *Pegmata.*
GRESSAMIÂ aſſurgit centùm BYRSA alta columnis, *Byrsa.*
Et CRVCIS aſſurgit venienti inſigne trophæum, *Crvcis Lon-*
Inſigne, auratum, & viſum memorabile CIMBRO. *dinensis ae-*
rea moles.
Ridet vterque viæ dominabus margo beatis, *Fœmina nobile*
Aſt tu CHEPA magis, nitido fulgentior auro: *Ficus celeber-*
Oſtrati hìc ciues, vrbiſque ſenatus honeſtat *rimus.*
Eximias ſedes, inſtrataque ſcamna tapetis,
MAIRVM, ALDERMANNOS, Oratoremq; SHERIFFOSque
(Iſta magiſtratus vocabula, nemo LATINA *Magiſtratus.*
Non dicat ſtolidus, ſunt vera, iccircò LATINA,
SVFFECES dixit LIVIVS, quæ dictio POENA,
Barbaritas eſt falſa loqui, non nomina rebus
Conueniunt noſtris ROMANA) ibi cernere poſſis:
Neſcio quæ iuxtà hos immani pegmata mole,
Pyramideſque ipſis viſæ minitarier aſtris.
Fabrica nunc PAVLI, quanquam ignibus inuidioſis *Templum Divi*
Dimidiata caput, miraculum aduſque procera, *Pavli.*
Expandit magnoſque ſinus, immenſaque membra.
O foret ô vtinam caneret qui cuncta diſertè,

Quæ

Quæ vixdum tetigi, carpens fastigia tantùm.

Porta LVDDI. Fundatorem vrbis LVDDVM, prolemque gemellam
(Dat plebs tota fidem) nunc tandem lassa salutat
Pompæ prima acies: Stat imago virginis extrà,

ELIZABETHAE *super reginæ statua.* Quæ pacata tibi transmisit sceptra IACOBE:
Fœmina magna quidèm, & planè altera PALLAS ELISA,
Nec nisi cum gemitu memorata ab amantibus ANGLIS.
Carminis hæc mihi finis erit, quæ non fuit illis
Progressus, medius metam stat LVDDVS vtramq;

CHRISTIANVS *è fastigio Fani* PAVLINI, *ingens* LONDINVM *intuetur.* Inter: At, vt licuit, maiora per otia, summo
PAVLI tu postìn de vertice, CHERSONESI
O rector DANICAE (placuit nam scandere summum)
Despiciens vrbem; Quæ brachia por'gere visa est?
Atque errare quousque ingens? licèt antè popelli
Innumero ex numero facilis coniectio quanta,
Nunc visendam oculis se turritissima præbet.

Familiæ. Templa. Centùm mille domus, centena vicenaq; templa,
Totum est vrbs quodcunque vides, sic ædibus exlex
Excurrit, tantùm pars est quod nomine gaudet
LONDINI: Crescat dum nil suus ampliùs æther
Præter tecta habeat quod videat, tanta BRITANNÛM

BRITANNIARVM *arx, & vrbs primaria.* Sedes prima foret, sed & hæc primaria sedes:
Non æquanda, semel si cincta suburbia muro:
Magnum opus, atque habiturum olìm qui ductus amore

Nominis

Nominis æterni peraget, quin saxea facta,
Saxea quæ non est, & lege coërcita nullâ,
Verè erit augusta vrbs, atque ædes regula coget.
Quò feror insanus? non his vaco, desine tandem
Expatiari adeò, compendia tuta secutus,
Et tua; finis adest: Ne illæsa irascere CLIO.
Ad PETRI (spinetum olim) quo clauditur vrbis
Occidua ad flumen series: ô quos EDVARDOS?
Et quos HENRICOS? quæ quondam robora regni
Vrna capit, tumulusque frequens? simulachra sepulchris
Heu quanta emergunt? dicam inclementèr, ô CIMBRI,
Huic monimentorum planè inuidistis aceruo.
Dicat qui valeat melius, quid VINDELISORAE
Viderit hospes acer, socius nec maximus ipse,
Plurimus est CAESAR, superat mea carmina splendor
GARTERII, haud minus ac ARTHVRI sphærica mensa
Nobile, quod sedes ibidem sibi fixit honoras;
Ordo, locus summi: Rem vates quisquis es ipse
Te dignum facies, quicunque hæc vindice plectro
Astra super statues, cœlo noua sydera transdens.
Atqui hæc quæ subito iam percurri omnia filo,
Longèque his maiora simul rex vidit vterque;
Sed, quæ non vidit, fuerant dij qualia? quanta?
Quæ regina soror spectacula mira parârat,

Regum tumuli apud WESTMONASTERIVM *in templo* D. PETRI.

VINDELISORA *Ordinis* GARTERII *sedes.*

Apostrophe authoris.

Plurium triumphorum apparatus exersi, ANNAE *reginæ,*

Henrici Principis, Academiarum, Iurisperitorum nobilium,

Quæ ſimul HENRICVS minimè puerilia princeps,
Quæ longè inſignes vtriuſque HELICONIS Alumni,
Quæ cœtus iuuenum patrijs qui legibus horas
Impendunt (quo non viget accuratior vſquam,
Aut mage qui rerum diſcrimine pollet, & vſu)

Procerum, Aulæ, Fori.

Quæ varij proceres, quæ tota BRITANNIA, & AVLA,
CHRISTIANO, & nobis perierunt omnia in vno
Conſopita abitu: DRYADES, HAMADRYADES, omnes
NYMPHAE fonticolæ, SATYRISCI ſemicaprini,
FAVNI, SYLVANI que omnes vno ore vlulârunt,
Damnârunt que operas nequicquàm in feſta locatas;
Nimirùm illi etiam ſcænas, & pegmata verna,
Perſonaſque, & lætitiæ ſua ſigna parârant:
Ex quibus (vt petulans genus eſt) quâm plurima quidam
Fertur ia ctâſſe, &, quaſi ſpretus, bile procaci
Intumuiſſe, aiens: *Quòd, quanquam rura carebant*

Satyra in CHRISTIANVM abitum parantem.

Cultu quo CIMBRI *captarent fortè fauorem,*
Quanquam deliciis Aularum, muneribuſque
Quæ dedit, accepitque, auro, rutiliſque lapillis
Prægrauibus; tamen haud peramantia corda deeſſe,
Nec mores quibus eſt ſua gratia, ruſtica quanquam:
Dedecuiſſe virum peregrino in littore talem
Spernere rurales grates, potuiſſe manere
Saltèm dum potuit, quin ſcire illum eſſe verendos

PANA,

PANA, PALEM *que deos, neque reges nomine posse*
Maiori gaudere: Dijs mortalia cordi:
Non dedignari (parilem sibi) rura IACOBVM
Perlustrare, habitare simul, crebròque vacare.
Multa huius generis iactata, indultaque bili.
Aſt queis ſe reges coluerunt dona viciſsìm; *Mutua regum dona.*
Dona haud, ſed gazæ fuerant, quæ lumine circùm
Accendêre ſuo cœnacula fulua metallo:
Empta antiqua foret longè ROMA ipſa minoris,
Singula tunc pretium totius munera regni,
Theſauros inter ſeruanda in ſæcula ſacros,
Nec niſi magnificis eadem tractanda diebus.
Scintillans adamas, carbunculus igneus, ambo
Infandi pretij lapides, vincuntur ab arte
Fabri, ſitque illis longè pretioſius aurum,
Materiem cœlo ſuperante; aſt cedit vtrumque
Argumento, alio celebrando tempore forsàn.
Spiritus at cuinam eſt tantum modò verſibus audet
Qui mandare tuos cuſtos VPNORA triumphos? *Statio claſſis vere regia.*
GILLINGAMA hiberna tuos? claſſiſue pupillæ?
Nulli equidèm, nulli. Vidit MEDVEGA ſuperba,
Fertilis ANDERIDAE proles cryſtallina ſyluæ;
Haud intacta mari NYMPHA, at ſalſugine teſtans
Concubituſque ſtatos, & furta frequentia ponti;

Rochester vrbecula. Audijt, intremuitque propinqua, & parvula ROFFA,
Axem pulvereo crebrò quaſſante tonitru,
Vt reges gemini, regina, & filius hæres,
Naues. Coniunctis radijs ſcandebant ponte carinas
ANGLORVM inuictas regum, fidaſque BRITANNI;
Terrificum faſſas vultu, & venerabile quiddam,
Regni depoſitum ſalui, quod & vndiquè bello
Flagranti repetet; terræ tutamen, & vndis.
Talia quandò ſient iſtæc, & tanta, nec ipſa
Maxima, vel ſaltèm non vnica; Quis mihi BACCHVS
Vates demittit ſeſe. Me abripiet tantùm vt recinem? qui maxime CIMBER
Aduentus me noſco tui præclara canendo,
Deceſſum tanti hoſpitis ingratiſſimum eſſe docet. Plus æquo audacem: Deceſſum vt nemo probauit
(Inuiſum nobis quòd te raptìm abſtulit, ipſi
Inuiſumque tibi, quòd detruncârit (ademptâ
Parte voluptatum potiori) gaudia tanta)
Nec celebret quiſquam: Sed cùm diſcedere certum eſt,
Imperij poſcente ſtatu (breuia otia regum,
Cæterùm AVSTROS precatur amicos redeunti, Et dubia imperij) det amicos IVPPITER AVSTROS,
(Quandò AQVILONEM idem, ſæuum propriâ indole ventum,
Humanum indulſit properanti ad litora noſtra)
Flatu vt diuerſo redeat, ſed numine eodem:
Quin AFRICOS reduci dabit en SATVRNIVS almos,
Carminibuſque meis per ſæcula longa placere.

FINIS.

AD LECTOREM.

CVr TRICORONES *hnic Carmini nomen inditum, cognitô Augustissimos Principes,* IACOBVM & CHRISTIANVM *illo vocabulo intelligi, si quis iam fortè interroget? eum valdè oblitum esse oporteat, hunc, Magnæ* BRITANNIAE, FRANCIAE, & HIBERNIAE; *illum verò* DANIAE, NORVEGIAE, & GOTHORVM, VANDALORVMque, *cùm reges haberi, tùm optimo iure esse. A trium ergo coronarum iure quod ad alterutrum hæreditariò spectat,* TRICORONES. *Sin sì verbum non arrideat, vtpotè minimè* CICERONIANVM: *Nihil moramur: Ex* LATINISSIMA *enim compagination̄e est, ad similitudinem* VIRGILIANORVM, *Trifaucis, Trilicis, & huiusmodi. At cur* PARELIA, *siue Soles gemini in* BRITANNIA? *Cùm non nisi vnum, scilicet vnicum* IACOBVM, *nec habeat, nec agnoscat. Sed quis* LONDINVM *nostrum,* BRITANNICI *imperij sedem, magnificentissimo illo apparatu transeuntes vidit, qui eos non tantùm* PARELIA, *sed (si id natura rerum pateretur) duos renatà Soles non prædicaret? Certè quidem illo die, tàm festo, tàm fortunato, tàm illustri, Carminis huius authori* PHOEBI *instar fuerant: præsentiâ enim suâ effectum, vt ex simplice spectatore poëta rediret: Cautus quidem in hoc, & benè sobrius, (cùm vires suas, & otia nimis impares, & angustas iusto poëmati probè intellexit) quòd aduentum tantùm, & insigniora aliquot ipsius hospitij, narraret magis, quàm caneret. Cæterùm qui adeò valdè serò inchoauit, quantumquantum posteà maturaret, gratiss. tamen hospitis præfestinata domuitio omnes suos in eo tempestiuiùs edendo conatus anteuertit: Carmen ergo velut abortiuum iacuit. Sed enim, obseruatô non solùm vtrumque Regem, Reginam, Principem, & alios imperatoriâ stirpe oriundos, sed etiam loco, nobilitate, aut gratiâ maximè præstantes, officiosissimè in eodem, & nominatim cultos, neque vllum ferè genus aut hominum, aut rerum, quorum memoratione (in tanto scripti compendio) honestari patria possit, esse prætermissum, omninò indignum visum est (vtcunque alioquin macrum) quod prorsùs interiret. Prodit ergo, quanquam sicut agnatum, & posthumum quiddam, hoc edentis consilio: Primùm vt de suo in*

¶ *publicum*

publicum ſtudio (de quo benè mereri etiam cum vitæ diſpendio beatum) ex hoc quantillo ſpecimine, conſtaret. Deinde vt iuuenis ipſe, florenti BRITANNIAE *iuuentuti author (pro ſuâ parte fieret) ne famâ vnius, vel alterius (quantumuis ingentium) inſularum ambitu circumſcribendâ, ſemper contenti forent, ſed vt germanam, & doctam poëſim, (æquè ſaltèm ac vulgarem) colendo, eximium illud, & per vniuerſum orbem diffundendum decus, patriæ & ſibi comparârent. Nemo autem ſerò editum criminetur: Quid enim ſi multa hinc ſecula vixerit, qui de hac ipsâ re præclarum aliquod poema promulgârit? an vel tum id ſerò factum? Serò igitur* HOMERVS ILIVM *exciſum celebrauit, cùm iam ipſa* ILII *ruinæ perierant: Serò optimus maximus* VIRGILIVS *Indigetem ſuum* ÆNEAM *euexit: Serò denique idem aliy fecerunt poëtæ, qui res antiquiſſimas vi ſui ingenij renocârunt. Multò minùs hoc ſerò editum dicetur, præſertim ab iis quibus feſta illa tempora grata fuere: Cùm enim etiam memoria eorum (vt ſunt res mortalium) iam penè conſenuerit; nunc Sereniſſ.* CHRISTIANVS, *iterùm venire, iterum manere: immò velut perpetuus hoſpes nobis exhiberi videbitur. Quando autem vniuerſi ſalus particulari præponderet, & ſic eſt a Deo inſtitutum vt partes ita ſe inuicem curent, vt toti inſeruiant, eò autem melius ſit vnumquodq; bonum, quò fuſum latiùs, nemo negabit pacem illam longè fore excellentiſſimam, quæ* TVRCIS, *iuratis Domini noſtri* IESV CHRISTI, *& Crucis, & Paſſionis eius hoſtibus perniciem iam tandem pepererit: quod ſuo tempore faxit Omnipotens Deus, qui orbis* CHRISTIANI *mutuis lanienis penè exinaniti, iam tandem miſerebitur, Principibus pacem amantibus in occiduo mundo conſtitutis, eneruibus inter* MAHOMETANOS. *Atquè ne* MYNDI *portas hæc epiſtola videatur imitari, nihil vltrà adiyciet quàm votum vt iſtæc placeant, ſaltèm dum Sereniſſ.* IACOBI *R. Pacifici totum Quinquennium, dignum ſe præconium ab aliquo alio longè digniori inuenerit: Tu interim pie Lector.*

Vale.

Abſentiam correctorum multauit (in prioribus aliquibus paginis) his potiſſimùm mendis Typographia.

PAg. 1. lin. 16. pro ſcelere, legendum, ſceleri. pag. 2. li. 28. pro IVPITER, leg. IVPPITER. pag. 6. lin. 133. pro quæſtaſq; leg. queſtaſq;. pag. ead. lin. 135. pro Porpitias, leg. Propitias. pag. 9. lin. 197. pro Quem, leg. Quam. pag. 11. li. 254. pro nudarum, leg. vndarum. pag. 16. in margine ad lineam 369. pro Regno Gerumnij, leg. Regnorum Genij. pag. ead. lin. 376. pro iactat, leg. iacter.